



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]**

IV. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)



S. Gualterus cum stella in humero natus, Romanæ urbis Præfecti filiam sibi pro sponsa oblatam repudiavit, dicens: Nullam in orbe fœminam suis amoribus dignam esse præter MARIAM, ad hujus amorem Virginitatis voto se obstrinxit, cujus periculum ne subiret, vox cœlo allapsa, ut fugeret, monuit. *Phil. Ferr.* Utinam pedes nostri alati forent.

S. Gualtere impetra mihi à MARIA, ut cœlo Magistro edocear, quæ DEO circa me placita sunt, & ut ea constanter exequar, malimque ipsi quàm hominibus placere: cujus unius favor plus in agone mihi feret solatii, quàm totius orbis obsequia & applausus. O Sanctissima DEI, & mea Mater pretiosissima! ego N indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibili-  
lium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Amore Marianam puritatem imitandi fugiam hodie quid, quid ei posset adversari.

Tota pulchra meritò dicitur MARIA, quia pulchra fuit facie, pulchra mente & corpore, quæ etiam ipsis Principibus tenebrarum terribilis fuit. *Rich de S. Vict. c. 26. in cant.*

Quæstio: Utrum aliquis sanguis in Eucharistia sit sanguis Deiparæ. *Vid. Vega in Theol. Mar. num. 1484.*